



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclusio Prima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

RESOLVTIONES

DISPVATIONVM DE VIRTUTE

indulgentiarum Reuerendi patris ac sacrae

Theologiae Doct. Martini Luther Au

gustiniani Vuittenbergensis, ad

Leonem X. Pont. omnibus

modis summum.

CONCLUSIO PRIMA.

Dominus & magister noster IESVS CHRISTVS dicendo poenitentiam agite &c. omnem uitam fidelium poenitentiam esse uoluit.

Hanc assero & nihil dubito.

Probo tamen eam, uel rudis ingenij causa, primo, ex ipso uerbo Graeco Metanoite, id est poenitentiam agite, quod rigidissime transferri potest, transmentamini, id est mentem & sensum alium induite, respiscite, transitum mentis & phase spiritus facite, ut scilicet nunc caelestia sapiatis, qui hucusque terrena sapuistis, quod Apostolus Roma. xij. dicit Renouamini nouitate mentis uestrae Qua respiscencia fit, ut redeat preuaricator ad cor, odiatque suum peccatum. Certum est autem, quod ista respiscencia, seu odium sui, tota uita fieri debeat, iuxta illud, Qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam aeternam custodit eam, Et iterum. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Et ibidem. Non ueni pacem mittere, sed gladium. Matth. v. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et Paulus Ro. vi. & viij. alijsque multis locis, iuber mortificare carnem, & membra, quae sunt super terram. Et Gal. v. docet, carnem crucifigere cum concupiscentijs eius. Et. ij. Corint. vi. dicit. Exhibeamus nosmetipsos in multa patientia, in ieiunijs multis &c. Haec sic late profero, tamquam cum eis agam, qui nostra ignorant.

Ideo, secundo probo & ratione eandem. Quia Christus magister spiritus est, non literae, & uerba eius sunt uita & spiritus, ideo necesse est, ut eam doceat poenitentiam, quae in spiritu & uerita

ueta uos re
respiscite

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN
te agitur. Non autem eam, quam foris agere possunt superbissi-
mi hypocritæ, in ieiunijs suis facies exterminantes, in angulis ora-
rantes, & cum tubis eleemosynam facientes. Eam inquam, do-
ceat Christus oportet, quæ in omni uitæ genere agi potest, quæ
rex in purpura, sacerdos in munditia, principes in dignitate nõ
minus possunt agere, quam monachus aut mendicus in suis ri-
tibus & paupertate, sicut egerunt Daniel & socij sui in media Ba-
bylone. Omnibus enim hominibus, id est omnium conditio-
ni debet conuenire doctrina Christi.

Tertio, per totam uitam oramus & orandum est, Dimitte no-
bis debita nostra, ergo tota uita pœnitentiam agimus, & displi-
cemus nobis. Nisi quis sit ita stultus, ut fecte putet orandum sibi
pro remittendis debitis. uera enim sunt, & non contemnenda
debita, pro quibus orare iubemur, etiam si sint uenialia, non ta-
men nisi eis remissis, saluari possimus.

CONCLUSIO II.

Quod uerbum de sacramentali pœnitentia (confessionis
& satisfactionis, quæ sacerdotum ministerio celebratur) nõ
potest intelligi.

Hanc etiam assero & probo.

PRIMO, quia pœnitentia sacramentalis est temporalis, nec
potest omni momento agi, alioquin assidue cum sacerdote lo-
quendum esset, nec aliud quicquam agendum, nisi peccata con-
fitenda, atq; satisfactionem impositam exequendam. Ideo non
potest esse crux illa, quam Christus præcipit tollere, nec est mor-
tificatio passionum carnis.

Secundo, sacramentalis est externa tantum, & prærequirit in-
ternam, sine qua nihil ualet. Sed hæc interna est, & sine sacramē-
tali esse potest.

Tertio, Sacramentalis potest esse ficta, hæc non nisi uera, &
sincera esse potest. Quod si sincera nõ fuerit, hypocritarum est,
non ea quam Christus docet.

Quarto, de sacramentali pœnitentia nullum habetur præce-
psum Christi. Sed est per pontifices & ecclesiam statuta (saltem
quo ad tertiam sui partem, scilicet satisfactionem) ideo & muta-
bilis arbitrio ecclesiæ. Sed pœnitentia euangelica, est lex diuina,